

PAVLLI MAN-
NVTII SCHOLIA IN
ATTICI VI-
TAM.



N antiquissimo libro eruditissimi viri, acerrimoq; iudicio præditi, Oberti Gifanij, ante hanc Attici vitam leguntur hæc verba: Ex libro Cornelij Nepotis de Latinis historicis. *Pomponius Atticus*] prænomen omisit: est enim hic T. Pomponius Atticus. In Gifanij libro legitur prænomen, T. *Ab origine <ltima*] hoc dicit, quia Romani multi ex diuersis Italiae locis originẽ ducebant: Pomponiaẽ vero gentis in ipsa vrbe Roma origo prima fuit. *Stirpis Romana generatus,*] notandũ genus loquendi, Stirpis Romanæ generatus; quod ego non sane libenter imitabor. Si dixisset, E stirpe Romana generatus, erat vsitatus. fortasse, Generatus, glossema fuit. *Perpetuo*] senator enim numquam fuit, nec honores appetiuit. caussam Nepos infra exponit, his verbis: Honores non petijt, cum ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem; quod neque peti more maiorum, neque capi possent conferuatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque geri sine periculo, corruptis ciuitatis moribus. *Equestrem obtinuit dignitatem.*] non igitur in senatore tantum, sed etiam in equite dignitas, verum in senatore maior: itaq; senatorius ordo Maior appellabatur, Minor equestris. *Patre vsus est diligente,*] in qua re diligente? vtrum in re domestica, an in filio litteris & bonis artibus instruendo? malim omnino ad filium referri, propter verbum, Vsus est; &, quia sequitur, Indulgente: quod neque pater filium negligeret, nec tamen in eum esset acerbior. *Vt tum erant tempora, disti,*] cum Nepos hæc scriberet, maiores erant ciuium Romanorum diuitiaẽ, quam viuente Attici patre: propterea dicit, Vt tum erant tempora.